

19 20

Vrbanus P. VIII.

VRbanus Papa Octauus, ad futuram rei memoriam, nuper pro parte dilectorum filiorum Præpositorum Ecclesiæ Valentin. nobis expositum fuit, quod à Venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Cardinalibus, Sacris Ritibus Præpositis emanauit, decretum tenoris subsequentis. Videlicet Valentin. præheminentiarum Relatis ad Sacrum Rituum Congregationem suscitatis inter capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Metropolitanæ Valentin. & Præpositos in dicta Ecclesia, à fælicis recordationis Sixto Quinto institutos placuit Sacræ Congregationi desuper exquirere votum Rotæ, illoq; habito in vim quatuor decisionũ ab ea emanatarum eadem Sacra Rituum Congregatio referente, Eminentissimo, & Reuerendissimo Cardinali Pamphileo, viso voto dictis decisionibus examinatis & remature discusa decreuit, & declarauit licere prædictis præpositis sedere immediate post Canonicos in eisdem sedibus, seu scamnis in quibus sedent Canonici ad audiendas conciones Ecclesiæ, & Sermones calendarum, & palmarum: Item incedere vna cum Canonicis ad recipiendas Candelas in die Purificationis, Cinerem, in die Cinerum, Palmas in die Palmarum, Eucharistiam feria quinta in Cena Domini, & adorationem Crucis feria sexta Parasceue. Item accipere candelas accensas, ab Acolito, seu Scholano immediate postCanonicos infunctionibus in quibus deferuntur. Item Thurificandos esse præpositos, eisdemq; deferendam pacem, eodem modo, prout Canonicis. Item Præpositos debere salutari à Canonico Præsidente, & ab alijs Canonicis in Choro existentibus eodem modo quo ipsi Canonici salutantur. Item licere præposititis associare Dominum Archiepiscopum, quando accedit ad Ecclesiam ad officia di-

ui-

uina, & cùm eo facere circulum iungens Canonicis ad introitum Missæ Kirie, Gloria, Credo, &c. Item Præpositos posse ingredi Chorum per portam principalem præsente ibidem Domino Archiepiscopo, ac ab eo salutatione, ac benedictione honorari debere. Item licere Præpositis sedere in sedibus quæ aponuntur in Ecclesia Santissimæ Conceptionis in die Processionis Bullæ Cruciatæ. Item debere deferre Viaticum ad Prepositos infirmos eodem modo quo defertur Canonicis, & in sepelliendis Præpositis defunctis esse observandum eundem ritum qui observatur in sepelliendis Canonicis, eorumque corpora in eodem Sepulchro Canonicorum esse tumulanda, & Campanas, eodem modo esse pulsandas. Item in cantandis Missis posse Præpositos vti Assistente sicut Canonici, parique modo, vt Canonici incidere, ad prædicãdum, nec debere Præpositos genuflectere ad benedictionem recipiendam. Item distribuendã esse ceram Præpositis in Sabatho Sancto immediate post Canonicos, & eodem modo, pro vt distribuitur Canonicis. Item declaravit Sacerdotem cum reliquia in Processionibus occurrentem recipiendum esse inter Præpositos, eosdemque, tàm in supradictis actibus, quàm in omnibus, & quibuscumque alijs non expræssis dummodo non sint Capitulares facere vnum corpus cum Canonicis, ac gaudere omnibus præheminentijs, prærrogativis Canonicorum absque vlla diferentia. Capitulares autem actus eos solum intelligendos esse censuit, qui consernunt guber nium, & administrationem Ecclesiæ, & iura capituli, & vota eorum qui sunt de capitulo exquirunt, & ita observari declaravit, die tertia Agusti millesimi sexcentesimi quadragesimi primi. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat præfacti, præpositi decretum huiusmodi quofirmius subsistat Apostolicæ nostræ confirmationis Patrocinio communiri summopere desiderent. Nos eosdem Præpositos specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, ac eorum sin-

singulares personas, à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs censuris, & pœnis à iure, vel abhomine quavis ocasione, vel causas latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt adefectum, præsentium, duntaxat consequendũ harũ serie absuolventes, & absolutos fore censentes suplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretũ, præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis Apostolica authoritate tenore præsentium, confirmamus, & aprobamus *illiq; inviolabilis firmitatis robur adijcimus*, & omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus, siquidem supra quomodolibet interuenerint supplemus. Decernentes, præsentes litteras validas firmas, & eficaces existere, & fore suosq; plenarios, & integros efectus sortiri, & obtinere, *ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiter observare*, sicque, per quoscumq; Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & difiniri debere. *Irritumq; & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.* Quo circa venerabilibus fratribus, Episcopo Oriolen. & Segobrisen, ac dilecto filio causarum Curiæ, Cameræ Apostolicæ Generali, Auditori per præsentes commitimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit *ac quoties pro parte modernorum pro tempore existentium. Præpositorum fuerint requisiti.* Solemniter publicantes, eisque in premsis eficacis deffentionis præsidio assistẽtes faciant authoritate nostra, easdem præsentes, & in eisdem contenta huiusmodi, *ab omnibus ad quos spectat, seu in futurum quomodolibet spectabit firmiter, & inviolabiliter obseruari.* Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appelatione post posita compescendo, secu-

tis-

tisque super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus agravar. *invocato etiam ad hoc quatenus oppus fuerit auxilio Brachij secularis* non obstantibus constitutionibus Apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus priuilegijs, quoque, & indultis, & litteris Apostolicis in contrarium, quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorũ tenore præsentium, pro sufficienter expræssis haben. illis, aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorũ efectũ specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs, quibuscumque. Datis Romæ, apud Sanctam Mariam maiorem, sub annullo Piscatoris, die vigesima octaua Augusti millesimi sexcentesimi quadragesimi primi, Pontificatus nostri, anno decimo nono M.A. Maraldus. Loco sigilli, Annulli Piscatoris. ✠